Q. D. B. V.

AD

ANNIVERSARIAM

REPETITIONIS LL. GYMNASII

ET

LVSTRANDAE IVVENTVTIS

SOLEMNITATEM

DIE III. SEPT. MDCCLXVII

MORE MAIORVM CELEBRANDAM

ILLVSTREM

PERMAGNIFICOS GENEROSOS

AMPLISSIMOS CONSVLTISSIMOSQVE

VRBIS

PROCERES

MVSARVM

STATORES AC NVTRITORES

GRATIOSISSIMOS

VT ET

RELIQVOS

BONARVM ARTIVM AMATORES

PRO SVA QVEMQVE DIGNITATE SVSPICIENDOS

COLENDOSQVE

EA QVA PAR EST REVERENTIA

CVLTV ET HVMANITATE

INVITAT ORAT OBSECRAT

IOANNES LANGIVS

GYMN. RECT. PR. THEOL. PVBL. ET BIBL.

NEC NON

REGIAE ARTIVM AC SCIENTIARVM SOCIETATIS QVAE

FRANCOFVRTI AD VIADRVM FLORET SODALIS.

ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Prodiit ante aliquot tempus liber quidam, jucunda, utilia, lectuque digniſſima continens multa, cujus in rubro hic legitur titulus: Jo. Jac. Reinhards vermiſchte Schriften, in quibus P. II. p. 240 des *** Anmerkungen über ſeine Religion und allerhand dahin einſchlagende Dinge cum orbe erudito communicantur. Harum obſervationum Auctor quamvis pium ſe veritatis ac religionis evangelicae cultorem, ſtrenuumque orthodoxias defenſorem ſemper exſtitiſſe fateatur: illud tamen inter alia, quod mundum ab aeterno creatum eſſe, multis argumentis & longa verborum ſerie demonſtrare allaboret, tantum in animo movet ſcrupulum, ut ſententiae ejus calculum addere non audeam, cum ea & rationi ſanae & revelationi divinae repugnare videatur.

Loquitur Auctor Celeberrimus de mundo praeſenti, quem ex coelo, innumeris corporibus repleto, & globo terreſtri conſtare, ſcimus omnes. Loquitur de eodem, non quatenus DEVS illum tanquam optimum ex reliquis mundis ab aeterno elegit, & in lucem ac conſpectum creationis opere producere potuit; ſed quatenus eum ab aeterno creavit & ſe jubente re vera exiſtere voluit.

Neminem vero in dubium vocaturum eſſe ſpero, omne, quod ab aeterno exiſtit, aeternum inſimul eſſe. Sicuti enim quod in tempore exiſtentiam, ſanguinem, vitamque trahit, temporale, i. e. ad mundi ſaecula pertinens vocatur: ita quod ab aeterno originem ſuam habuit & ab aeterno exſtitit, aeternum quoque eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quicquid ergo in tempore oritur, ab aeterno eſſe nequit. Hinc nec mundus eo ſenſu ab aeterno creatus dici poteſt, quo DEVS ejus creationem ab aeterno decreviſſe affirmatur.

Ea enim Philoſophorum, genuinam verborum ſignificationem explicantium, eſt ſententia, ut aeternitatis vocabulo illud proprie intelligant, quod omni caret initio, omnique fine. Dum ergo Auctor mundi hujus, quem creatum eſſe, ideoque initio gaudere concedit, aeternitatem defendere ſatagit, apertam committit repugnantiam, aeque minus confundendam quam lucis & tenebrarum, diei atque noctis conditionem. Cum enim id, quod neceſſario & ab aeterno exiſtit, ita exiſtat, ut plane repugnet, idem non eſſe: nullis utique argumentis demonſtrari poteſt, illud mundo praeſenti convenire. Maximae quippe & continuae mutationes rerumque viciſſitudines, quibus omnes mundi partes, tum rationis participes, tum ejus expertes ſubjectae ſunt, uno quaſi ore confitentur, eum tanquam ens contingens, ab omni exiſtentiae neceſſitate & aeternitatis natura liberum eſſe. Quodſi autem mundus contingens & fortuitus eſt, is omnino nec neceſſarius, nec aeternus dici poteſt. Qua erga ratione neceſſitas & aeternitas, quae cum mutabilitate conſiſtere nequeunt, mundo huic, qui aliquando ortus eſt, tribuenda ſit, videt nemo.

Provocat quidem Auctor eruditus ad ſpiritus naturam, DEO tanquam ſpiritui perfectiſſimo praeprimis convenientem, quae inter alia in eo conſiſtit, ut activitate perpetua praeditus, nunquam quieti, ſeu ut ipſe dicit, otio deditus ſit, ſed ſemper

agat;

agat; imo dum DEVS ad producendas creaturas neceſſariis attributis ab omni aeternitate gaviſus eſt: inde ſtatuit, mundum quoque ab aeterno jamjam creatum eſſe. Aſt quem fugit, DEVM non omnia, quae poteſt, etiam actu in lucem producere: quippe ad omnipotentiae divinae uſum voluntas quoque Altiſſimi requiritur, ne videatur ex neceſſitate naturae, ideoque coacte & non libere, quae fecit, creaviſſe. Hinc non argumentari licet, DEVM ea, quae ab aeterno efficere potuit, ab aeterno quoque effeciſſe.

Queritur porro Auctor ſaepe laudatus, non intelligi poſſe, quid DEVS ante mundum conditum fecerit? Imo illam eruditorum opinionem, DEVM in contemplatione ſui ſuarumque perfectionum occupatum fuiſſe, riſu excipit. Verum enim vero cui latet, eum non niſi ludicra & plane inania venari, qui, quae captum humanum ſuperant, & a ſola Scripturae auctoritate dependent, nuda ratione rimari ac cognoſcere ſtudet. Intellectus enim finitus infiniti non capax eſt, nec quae in omni aeternitate DEVS egit, niſi ex revelatione ſcire poſſumus. Placuit quippe auctori ſalutis noſtrae in oraculis divinis ea alto involvere ſilentio, quorum cognitionem aeternitas demum futura in apricum eſt poſitura. Pro modulo ergo intellectus noſtri de eo, quid DEVS ante mundum conditum fecerit, judicandum eſt. Concedimus, eum eſſe ſpiritum, activitate continua praeditum, omnisque otii expertem. Sed ſicuti anima hominis laborioſiſſimi pro natura ſua nunquam quieta eſt; non tamen ſemper externe operatur, & actiones producit, in ſenſus incurrentes: ita DEVS quoque, ſpiritus ille infinitus, ab aeterno non otioſus aut quietus, ſed continua & immutabili tam intellectus quam voluntatis actione occupatus fuit, licetſi non externe in producendo mundo, attamen interne. Quam ob cauſam non potuit non, ex ſui conſideratione ſemet amare, & ſumma, ut ita dicam, ſuavitate demulceri, immenſitatem & eminentiam omnium ſuarum perfectionum infinita quadam ſaturitate ac oblectatione comprehendens. Dices

Dices quidem, DEVM hac ratione ab aeterno nihil produxisse. Ast scias, plane repugnare, sicuti rebus finitis ab aeterno creari: ita & divinae naturae ab aeterno creare. Equidem non sum ignarus, Celeberrimum Wegnerum in dissertatione sub praesidio Excellentissimi Masecovii Regiomonti quondam habita quaestionem illam: DEVS ante mundum conditum quid fecerit? fusius expendisse, & varias ea de re eruditorum collegisse sententias. Quis vero affirmaret, horum ullum rem acu tetigisse. Res enim, quoniam in facto posita est, certe ex sola ratione, Sacra Scriptura silente, nec intelligi, nec decerni potest. Hinc in dijudicandis imperscrutabilibus praestat ignorantia invincibili agnita cum Augustino dicere: nescio, quod nescio.

Mirum interim videtur, Auctorem summe Venerandum, qui in observationibus suis non Philosophi, sed christiani praeprimis officia tueri vult, (quippe de religione revelata loquitur,) Sacrae Scripturae dicta, opus creationis explicantia, vel sicco praeterire pede, vel sinistre interpretari. Sic Mosis, qui non Prophetae modo, sed & Historici biblici munere functus est, verba: in principio creavit DEVS coelum & terram, eadem explicanda esse statuit ratione, qua Astronimi, Copernici systema amplectentes, Josuae effatum: sol apud Gabaonem resta & luna ad vallem Ajalonem, interpretantur, improprie scilicet & tropice. Nam sol, qui in centro mundi circa suum tantummodo rotatur axem, apud Gabaonem proprie restare non potest, nec luna, terrae satelles, ad vallem Ajalonem: quippe, tanquam corpora coelestia non in terra, multo minus in exigua regione, sed in coelo inter reliqua sidera suum habent locum. Hinc verba, quibus Josua usus est, non nisi improprie & tropice esse explicanda, sana exigit ratio. Quod vero ad Mosis effatum: in principio creavit DEVS coelum & terram, illud tanta gaudet perspicuitate ac evidentia, ut eo nihil simplicius, nihil clarius, nihilque absque fuco, tropo & figura liberius dictum esse videatur.

Interim

Interim Auctor noster ad aliud argumentum, eam scilicet omnium rerum confugit mutationem, cui totum mundum quotidie subjectum esse animadvertimus. Asserit nempe, eandem mundi praesentis, quae ab origine illi fuit, non amplius esse faciem. Dum enim alia intereunt corpora, alia vero ex illorum staminibus sub alia forma proveniunt; ex eo evenisse statuit, ut terra nostra ex interitu corporis cujusdam mundani ante sex circiter millia annorum, quam aetatem ex Mosis relatione mundo eruditi attribuunt, demum orta sit. Ast Mosis de mundi creatione narrationem oculo saltem fugitivo perlustraturi invenimus, eum, Spiritus Sancti afflatu scribentem, non dicere, in principio DEVS ex alio corpore produxit terram, sed DEVS terram creavit, i. e. ex nihilo solius verbi jussione eam fieri voluit, dissimilem prorsus a substantia creatoris. Adhaec Moses non scribit: in principio DEVS creavit terram, sed coelum & terram, i. e. totum omnium rerum creatarum, tam visibilium quam invisibilium, in coelo & in terra obviarum complexum. Vnam igitur cum coelo omnibusque corporibus coelestibus hanc terram habuisse originem, principium unum idemque, inde satis constare puto.

Interrogat quidem Auctor Celeberrimus, in qua aeternitatis parte illud creationis mundi punctum, quo DEVS hanc universi machinam ex nihilo produxit, ponendum sit? Sed pari ratione ex illo quaerere licet, in qua aeternitatis parte ipse creationis punctum ponat? Nam dum mundum creatum esse dicit, mundi quoque originem agnoscat necesse est. Dum vero illud ab aeterno factum esse asserit, dicat ipse prius, quodnam illud in aeternitate fuerit punctum, in quo mundus, quem creatum esse affirmat, omnipotenti Numinis Altissimi verbo esse coeperit. Nobis interea sufficit, aeternitate nullum temporis punctum admittente, illud in verbis Mosis invenisse, dicentis: in principio (hoc punctum creationis esto!) DEVS coelum creavit & terram, seu quod idem est, mundus est creatus.

Sed

Sed tempus & paginae anguſtia nos monent, ut velis contractis ad id potiſſimum nos convertamus, cujus cauſa hanc commentationem in lucem emittere decrevimus. Ex more nempe a Majoribus laudabiliter accepto lectio legum & luſtratio juventutis caſtrina luce iterum celebranda venit; & quo actui huic anniverſario nihil deſit, quod rem ſcholaſticam commendare poſſit, PRAECLARISSIMVS DOCTISSIMVSQVE DOMINVS IOANNES SAMVEL FROM, GYMN. CONR. ET PROF. PHIL. PRACT. AC HIST. nec non POESEOS PVBL. Amicus noſter multis nominibus Colendiſſimus nonnullos ex diſcentium coetu, quibus volupe fuit, juvenes in ſcenam producet declamatoriam, *de fabro fortunae* verba facturos.

Cui ut propoſito ILLVSTRIS, PERMAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI ET CONSVLTISSIMI VRBIS PROCERES, MAECENATES AC NVTRITORES MVNIFICENTISSIMI, nec non EXCELLENTISSIMI, PLVR. REVERENDI, CLARISSIMI, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, HVMANISSIMIQVE, ſummo in litteras & litteratos amore propendentes, benigne favere, hancque ſolemnitatem ſua cohoneſtare velint praeſentia, legibus auctoritatem, juventuti vero in ſtudiis continuandis calcar addituri, eſt quod ſubmiſſe, obſervanter & officioſe oramus. Dab. Elbingae. D. II. Sept. MDCCLXVII.